

harum rerum doctrinam posteritati perficiendi. Qui si hac mente tecum certant, nã ego illis quã maximè benè cupio; sin aliud agunt, pertinaciam quidem eorum odio dignam existimo: Id tamen quod pertinaciã suã in commune beneficium tibi extorserunt, ipsis valere, vel potius non valere iussis amplector non secus, ac si bona id mente fecissent; de eoq; reipublicæ literariæ gratulor.

De prioribus Cometis, quos Regiomontanus & alii observarunt, expecto quæ propediem editurus es, eò usq; meam quoq; sententiam, an in universum omnes Cometæ ætherei credendi sint, an verò pars ætherei, pars elementares, suspensus.

Ad ea, quæ novis tuis hypothesebus hæctenus objecta sunt, solidè mihi videris respondisse, neq; ego quicquam in iis absurdum, sed omnia invicem pulcherrimè congruentia invenio: an verò hypotheses istæ, id quod in Copernicianis desideratur, præstituræ sint, ut scilicet exacta Siderum loca ad præterita, præsentia, & futura tempora nobis exhibeant, de eo tùm demum judicandum erit, ubi majus illud, quod moliris, Opus, in lucem prodierit. Neque enim dubito, quin in eò opere omnium ætatum quotquot extant exactiores observationes, cum tuis, quas exactissimas esse, certò mihi persuadeo, summã diligentiam contuleris, indeque novam hanc mundi Machinam, divino sanè ingenio, extruxeris.

Maçte itaq; animo, vir nobilissime, & fac ut divinis tuis inventis quã ocysimè fruamur. Etsi enim arduum, & ut ipse verè scribis, multorum hoc sit opus annorum: spero tamen, imò confido, te maximam jam ejus partem exantlãsse, & in recolligendis & ordinandis iis, quæ jam constitui, tabulisq; inde condendis, magis hoc tempore, quã in confirmandis amplius inventis tuis versari. Quã in re cum discipulorum tuorum operã magna in parte juvari possis, iterum atq; iterum te rogatum volo, nè nos nimium diu suspensos habeas; Vitam tibi ex animo ad Nestoreos usq; annos exopto: nõsti tamen quã fallaces sint spes nostræ, & quã immatura plerunq; divinis præsertim ingeniis mors obtigerit; Falle itaq; moras, & vel non maturo partu, hunc ingenii tui fœtum orbi terrarum ède. Si fata longiorem tibi, quod avidè optamus & speramus, vitam concesserint, poteris & edita recudere, & judicio tandem tuo quoq; (nostro enim quin in primã editione satis facturus sis, nihil dubito) satisfacere. Liberabis interim nos perpetuo metu, nè, dum nimium cunctaris, toto opere frustrerur. Ego certè tantam de te, tuisq; his hypothesebus spem concepi, ut vel à te, vel à nemine solidam Astronomicæ artis exædificationem expectandam esse pro certo affirmare audeam. Qui enim præter divinam ingenii vim, tot tantisq; rebus hinc necessariis instructus sit, tot tantosq; sumptus, labores & annos contulerit, non est in Europã (cum Europam dico, totum Orbem dico) qui tibi comparari queat, quisquam. Abest hinc, ita me DEU Samet, omnis adulatio, à quã & dignitas, quam gero, & gravitas quam cum omnibus tueri laboro, me apud notos atq; ignotos, in ignoti præsertim de facie hominis laude, satis superq; vindicabunt.

Quæ de exactã Instrumentorum ad observationes necessariorum constructione & vsu variis in locis, & ad varios à te scripta sunt, summoperè me delectârunt. Ego dum hæctenus mihi ipsi satisfacere non potui, dum ea quæ non exacta sunt, nè videre quidem, nèdum habere patior, omnibus omninò Instrumentis, præter ea, quæ ad voluptatem tantùm comparantur, careo. Quadrans Nonnianus multum aliquando me habuit sollicitum: sed quia difficillimè, imò ferè impossibilè est eum conficere, cogitavi ego de aliis mediis, & inveni varia, quorum partem Christophorus Clavius insignis Mathematicus in libello suo de horologiis solaribus per Instrumentum describendis, edidit. Tandem in mentem mihi venit quadrantis cujusdam constructio, quæ quia doctis quibusdam viris non inelegans visa est, volui eam ad te quoq; mittere. Ut tamen ingenuè fatear quod res est, quodque verissimè affirmas: inventiones hæ omnes minús habent in recessu, quã de se primã fronte spondent. Gratum tamen mihi erit tuum de hoc ultimo meo invento audire judicium. Ex N. N. Plagiarium tui libello, quem fundamentum Astronomicum inscripsit, unicoque ejus diagrammate,

mate,